DE DOTHINENTERITI DE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Antonio Zucchi

DE

DOTHINENTERITIDE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN MEDICINA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

C. R. UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICI JURIS FACIT

ANTONIUS ZUCCHI

CREMENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXV

Etsi mihi perjucunda sit hujus diei solemnitas, ac vester adspectus, Professores clarissimi, laetitia animum meum adficiat; unum tamen mihi superest votis omnibus expetitum, quomodo scilicet gratias referre vobis possim, si post tot labores, vestra semper humanitate suffultus, extrema vice nunc osculor sacra haec altaria Minervae. Cum vires tamen isti difficillimo muneri deesse mihi sentiam, vos precor quaesoque, ut meae imbecillitati veniam detis, et bonam voluntatem aequi bonique faciatis. Primum itaque studiorum meorum tentamen typis commissum, vobis impraesentiarum ostendet meam erga vos vestrasque institutiones devotionem, nec esse unquam poterit, quin vestram in me benevolentiam ac beneficia grato animo prosequar, dum spiritus hos reget artus.

Si multa medicorum scripta recentiora pervolvantur, haud dubium existimo plura ex illis reperiri quae ab antiquis medicinae auctaribus observata, aut adnotata fuere, hac tantum differentia, quod vel sub alio nomine, vel sub altero adspectu observantur, talique modo plura

in lucem quasi nova reducuntur, quae vel ex undique collatis membris collecta, vel in pristinum statum turpiter restituta, attentionem medicorum in se convertunt, ita tamen, ut cito exorta, cito moriantur. Fatendum est e contra quaedam saepe saepius ansam praebere accuratioribus observationibus scientiaeque incremento, et quae olim invisa cecidere, ad novam vitam vocata adaugeri, et in lucem clariorem aut pervenire, aut ad nova quaedam inventa duci.

Inter haec adnumerandum esse arbitror morbum, cujus monographiam vobis offerre in animo mihi nunc est, de quo speciatim medici galli gloriari debent, utpote qui primi omnium aliorum medicorum hujusce aetatis, laboribus, observationibus, scriptis illum illustrarunt. Non omnes hinc folliculorum mucosorum tubi gastroenterici inflammationes ad gastro-enteritidem simplicem referendae sunt; sed diversitas quaedam interest prout glandulae omnes muciparae inflammantur, aut illae potius sitae in aliqua regione et speciali nomine designatae, ut sunt illae peyerianae et brunnerianae in regione ileo-coecali. Hinc non omnes febres gastricae, quae vel cum statu nervoso conjunctae decurrunt, vel cum humorum animalium depravatione, aut gastrico-nervosae generatim, aut typhoideae, aut alio modo vocandae sunt. Sic scripta veterum, qui talia indiscriminatim animo videre ausi fue-

runt, recens ad lucem vocata per anatomes pathologicae investigationes illustrata nec non amplificata fuerunt, talique modo cum sedes morbi certius figi possit, certiorem diagnosim statuere possumus, certioremque therapiam instituere.

Inflammatio glandularum mucosarum sic dictarum a Peyer et Brunner prope valvulam ileocaecalem existentium, quamdam novae indolis enteritidem constituit, et quadam febri speciatim stipatur, ob quam rationem morbus quidam sui generis hisce temporibus dijudicatus fuit.

Nonnulli medici qui primi observationem in illum converterunt, potius ad indolem febris attentionem praebuerunt, talique ratione Louis tribuit illi nomen febris typhoideae; alii vero ut Petit et Serres febris entero-mesentericae. Nonnulli autem potius ad indolem, sedem, adspectum attendentes, morbum hunc dixerunt, uti Bretonneau, dothinenteritidem; Andral in prima editione suae Clinices medicae exanthema intestinale; in secunda vero enteritidem folliculosam; Rostan illam vocat enteritidem cum eruptione folliculosa nec non dothinenteritidem. Inter extremos autem scriptores habemus Bouillaud et Ronzel, qui illum vocant febrim typhoideam aut entero-mesenteritidem typhoideam; Chomel praeterea aliique de isto morbo pertractarunt.

Pars illa sic statuta, nempe morbi cognomina-

tio, quae inutilis in morborum tractatione evadit, non omnino lectoribus inutilis erit ubicumque scripta medicorum istorum pervolventibus varia nomina reperiantur. Scire enim oportet, qualia pro synonymis, et qualia pro differentibus inter se haberi debeant.

De isto morbo pertractantes nos prius laesiones organicas exponemus, illasque pro majori simplicitate in tres periodos dividendas esse credimus:

I. Tumores scilicet folliculorum mucosorum et glandularum mesenterii, quae conditio dicitur etiam a nonnullis status exanthematis.

II. Exulcerationes in ipso loco tumoris glandularum mucosarum prius existentium.

III. Curatio et reditus sanitatis.

Exponam dein qualia sint hujus morbi symptomata, et quales causae, exitus, therapia. Quod sane argumentum prae aliis libenti animo pertractandum suscepi, cum hoc anno in Clinica superiori Patavii hunc morbum in femina observaverim, quae mihi desiderium tunc praebuit illius pertractandi pro viribus, cum morbi istius decursum et exitum examinare accurate potuerim.

Sic possent gallicae Clinicae, vel cujuscumque regionis sua quoque enumerare exempla! Sed et nostrae etiam valebunt pretiosa proferre, et medicis tironibus qualia ea sint, ostendere.

In uno ipso individuo quamvis stadia omnia reperire possumus, quae glandulae illae percur-

runt, ubi quintam partem inferiorem intestini tennis observamus, tamen oportet characteres statuere omnibus stadiis proprios.

Primum stadium.

In primo stadio glandulae peyerianae at brunnerianae inflammatione corripiuntur, quae vel cum aliis illius membranae glandulis muciparis inflammatione consociatur, vel sola decurrit. Tunc primo accidit vel quod secretio illis propria adaugeatur, vel quod imminuatur non diversimode ab aliis inflammationibus textuum mucosorum. Inflammatione tamen progrediente ostiolum clauditur; membranula illa interna cavum glandulae tegens, ex qua mucus secernebatur, plurima vasa sanguinea patefacit, volumen adaugetur, et cavitas tali modo imminuitur. Sub hoc inflammationis stadio in membranis mucosis omnibus diversitates eae observantur, quae propriae sunt injectionibus membranae hujusce indolis. Serius autem accidit, ut tota mucosa membrana ruborem illum inflammatorium adquirat, surgant ex illa peyerianae et brunnerianae glandulae tumentes vel irregulariter rotundae, vel ovatae, coloris magis albicantis, et supra limitem mucosae elevantur, vel unius vel duarum circiter linearum diametro ab illo grani milii ad illud duae tertiae partis unius pollicis: aliquando alterae proximae sunt aliis, et tunc elevatio am-

plior est. Sub hoc rerum statu vel quod faeces in transitu illo difficiliori reddito irritent continuo summitatem illarum elevationum, vel quod materies quaedam in illis contineatur, ut in abscessibus, quae stimulo afficiat lymphatica vasa, actionemque illorum impellendo crassitiem textuum cavitatem tegentium imminuant et erumpant, vel quod processu aliquo dynamico vel chemico hoc eveniat, stadium exulcerationis tunc consequitur.

Aliquando tamen accidit, ut post triginta morbi dies non bene adhuc folliculi evoluti sint, aliquando vero evolvantur, ut quandoque ad sextum morbi diem.

Secundum stadium.

Folliculi illi, qui prius tumebant et rubebant, magis ultra limitem mucosi prominent, et fere conversi adparent in massam quamdam duriorem, cineraceam, aut obscuram veluti escharam, vel eschara prius quam folliculi metamorphosea istas subeant, primitus observatur, vel isti illorum volumen imminuunt, et in loco prius ab illis occupato ulcusculum reliquunt varium summopere ob suam extensionem, parum vero ob sedem suamque formam.

Quando tamen transitus iste oriatur, statuere non possum; nam auctores illi qui multa cadavera obsarvanda babuerunt quae revera glandulas

prope valvulam ileo-caecalem morbose adfectas fuisse hujuscemodi ostendebant, auctores illi, inquam, ut imprimis Andral, Bretonneau, Louis, nulli valuerunt transitum istum statuere, nec qualibus phaenomenis stipetur, tradere potuerunt.

Ulcuscula haec ubi mucosam occupent, sequentes characteres praeseferunt, scilicet: ruborem inflammatorium circum illos dispositum, margines prominentes, et ut Galli dicunt *brousouflaites*, perpendiculariter sectos, fundum cinerei vel virescentia coloris, quem lardaceum vocare potuissemus; generatim characteres fere ii omnes observantur qui ulceribus syphiliticis competunt.

Exulceratio semper in folliculum summitate incipit, et non solum per mucosam serpit, sed etiam a superioribus ad inferiores partes procedit, ita ut quandoque fundus ulceris constituatur a mucosa; aliquando a cellulari textu interposito mucosam inter et fibrosam; aliquando a musculari membrana, quae propriis signis cognoscitur; aliquando demum a peritonaesli involucro, qnod ubi accidat ut corrodetur, perforatio intestinorum succedit, exitum semper afferunt lethalem, quod quando eveniat, nova symptomata in scenam prodeunt, illa nempe rupturae intestinorum, et collectionis in cavo ventris materiei, quae prius in cavo folliculorum continebatur nec non faecum; symptomata quae proximae et certae mortis indicia esse solent.

Tertium stadium.

Individui tamen dothinenteritide laborantes ubi non moriantur nec in primo folliculorum inflammationis stadio ob lesiones aliorum organorum, quae vel sint idiopathicae, vel sympathicae; nec in secundo stadio exulcerationum, vel quod istae exitum tristem illum supra notatum produxerint, vel quod phaenomena consensualia supervenerint, vel quod turbae illae quae primo stadio consociabantur ad mortem individuum perduxerint; individui isti ad convalescentiam pergunt, et salutem attingunt. Notandum tamen quod in sectionibus cadaverum istornm signa quaedam praegressae dothinenteritidis reperiuntur, et talia sunt: maculae quaedam coloris fusci sitae in punctis quibusdam superficiei internae extremitatis intestini tenuis propinquis; vel quaedam cryptae acuminatae, vel folliculi brunneriani evidentiores quam consuescunt, quae maculae cineraceae ostiola illorum sunt; membrana mucosa illius regionis est vasculis injecta, densior, et illius superficies rugosa. Maculae quae in illa cernuntur, pendere videntur ab ulceribus, quae mucosam tantum occupabant, dum e contra ubi puncta quaedam reperiantur albicantia in iisdem punctis, haec visa sunt potius pendere a tenuitate vel destructione mucosae et ab effusione lymphae plasticae, quae cicatricem

efformavit. Mucosam revera cernere non potuerunt anatomiae pathologicae scriptores, ut Trousseau et Andral qui sic ait: » Dans l'étendue d'un demi-pied au dessous du coecum, l'on » trouva cinq ou six points blancs ou la membrane muqueuse n'existait pas »; et Rostan ait: » On les distingue encore par leur couleur » rosée, grisâtre, ou par des cicatrices récentes ».

Glandulae vero meseraicae, hoc stadio, vel ad pristinum statum revertebantur, vel in suppurationem transierunt, et materies illa quam sub hoc statu continent, est ex pure sanguine commixto.

Talibus praemissis, ut ea quae certiora et constantiora habere possumus de isto morbo, cum phaenomena alia sint inconstantia aut aliarum adfectionum etiam propria, ad symptomatum expositionem, ut mihi proposui, nunc deveniam.

Symptomatologia.

Omnium symptomatum exacta expositio difficilis est, et quandoque fieri non potest ubi consideramus varia esse prout variam habemus aegrorum individualitatem, prout gradum diversum adfectionis, prout causas, prout alias circumstantias, quae innumerae si consociari possunt isti morbo, et propter cetera omnia communia aliis morbis, tamen de illis vulgaribus et constantioribus sermonem facere oportebit, ut forma morbi

aliquo modo lectorum oculis submittatur. Id si fiat, inutilis mihi videtur distributio symptomatum in tres periodos prout tria stadia consocientur. Nam irregularitates permultae, quae accidere possunt, ob nimiam sedulitatem saepenumero in errorem ducere possunt medicos. Ubi vero aequo criterio sciant illas recte existimare et pro variis circumstantiis accommodare, errorem istum vitabunt.

Prima morbi symptomata statim fortia summopere adparent, id quod ab enteritide hunc sejungit. Laxitudo, debilitas, diarrhoea, alia profluvia tunc adparere solent, et prius quam vera morbi aggressio succedat, observantur dolores quidam in dorso, artubus, generales quandoque; frigus; vel febris gravis cum frigore praecedente et a calore subsequuto, praesertim ubi morbus gravis est futurus, rubor faciei, baryecoia, cephalalgia, oculi splendentes, palpebra superior relaxata, hebetudo; dein defectus virium physicarum et moralium, summa inquietudo, manifestior tractus ille qui ab angulo labiorum ad nasum procedit; pinnae nasi flavescentes. Calor cutis summe intensus, et ipsa arescit. Anorexia, vomitus, os amarum, lingua flavo muco tecta, rubra ad apicem et ad margines; tamen phaenomena linguae sunt inconstantia; nempe Andral in suis observationibus asserit linguam saepe in statu naturali se reperisse, ubi presertim status primus

aderat exanthematia intestinalis, mutationem vero accidisse observavit, ubi adfectiones secundariae supervenerant, gastritis praesertim. Aliae ergo adsunt circumstantiae, quae nulla ratione habita istius exanthematis mutare possunt statum linguae, et hae sunt eae conditiones, quae locandae erunt in enervatione, quaeque, dum laesio existit omnino similis ob naturam, gradum, sedem, extensionem; attamen variam physionomiam variis hujusce morbi exemplis ab auctoribus enarratia imprimere solent. Febris characteres continuae proprios assumit, quam doctor Scautetten recenter tribuere voluit injectioni mucosae speciali, ut specialis est folliculorum laesio. Dolores insuper per totum abdominis ambitum manifestantur, vel per se existentes, vel sub pressione et praesertim ad regionem iliacam dexteram. Adest polydipsia, alvi fluxus frequenter observandua etiam occurrit.

Secundarie tunc alia organa morbo corripiuntur, hinc accidunt deliria, sopores, tremores, tendinum subsultus; respiratio fit anxia et frequens, rantolus mucosus aut sibilans auditur, sputa mucosa et uno verbo signa bronchitidis varii gradus. Lien et ventriculus plerumque etiam in consensum trahuntur. Pulsus plerumque molles, irregulares, frequentes cum 80 ad 90 pulsationes observati fuere; et odor quidam foetidus emanabat a superficie quorundam ae-

grotantium. Medicus difficile ab indole febris dijudicare potest an dothinenteritis in primo, an in secundo stadio inveniatur, dum symptomata existebant febris biliosae praesertim, ut Andral observavit, in secundo stadio; e contra antem in primo stadio quandoque observabantur symptomata febris typhoideae nervosae.

Quod si in morbi istius decursu perforatio intestini accidit, istam tunc ut causam mortis immediatam considerare debemus.

Haec accidit semper vel in punctis ulcerationum, vel in illis exanthematis; probabilitas non semper procedit cum numero, extensione, gravitate ulcerationum; dum eadem accidere visa fuit tum in intestinis, ubi plures exulcerationes existebant, tum in illis, ubi una tantum aderat. Cum itaque exitus iste lethalis accidit, semper evenit ubi symptomata febris adynamicae adsunt, et a peritonitide cum symptomatibus gravibus comitatur, omnia tunc in aegris cito in pejus ruunt, et mors denique vicina finem imponit.

Aetiologia.

Quae sint verae hujus morbi causae difficile est statuere, cum observamus auctores adbuc inter se discrepare quoad primam organorum laesionem, prout primitus tubus vel encephalus adficiatur; prout febris ista sit essentialis, quae, quales morbi sequelas, lesiones tales intestino-

rum relinquit, an symptomatica exanthematis istius.

Scimus tamen dothinenteritidem plus mares quam feminas corripere, et ubi observationibus credere volumus, una tantum femina reperiebatur in viginti et sex adfectis. Individuos fortiores et sanos praediligit, nec non temperamento potius nervosi-sanguineo instructos. Dubium existit, nec observationibus adhuc confirmatum est, an causae potius deprimentes illius evolutioni faveant, ut animi pathemata, labores etc.; an excitantes, ut animi laetitia etc.; an noxia et mala nutrimenta. Nam cum in divitibus, tum in pauperibus, cum in tristibus, tum in laetis hominibus id observatum fuit. Lutetiae plures corripiebantur qui post parvum temporis spatium commorati sunt, et haec mutatio caeli forsan causa esse poterit illius evolutionis. Bretonneau et Gendrou effectum cujusdam contagii illam considerant; Andral e contra experientia suffultus hoc negat, ita ut si aliqua in tantis rerum ambagibus proferre vellem, nec auctorum argumentis, nec experientia mea duce verbum in medium proferre valuissem. Certum tamen est quod temperamenta a veteribus sanguinea appellata plus quam lymphatica disponuntur; quod communius et magis in hominibus, ut supra monui, quod actas, in qua praecipue evenire solet, est a viginti ad triginta annos et post

septuaginta rursum in dispositionem incidimus. Nec silentio praeterire possum, quidquid Chomel cogitavit, scilicet quod tarditas motus faecum in dothinenteritide fit, ut ipse dicit, quod faeces adanmant characterem quendam irritantem superficiem intestinorum, et cum praesertim lentior cursus evadit in regionê ileo-caecali, ubi valvula Fallopii se se opponit huic transitui, tunc accidit quod in ista regione irritatio succedat, quae in inflammationem transeat, et dein istius exitus eveniat. Nibilo tamen secius nos concludemus, facili negotio hypotheses esse exponendas, difficili tamen factis jungendas, et quod in dothinenteritide desunt adhuc causae bene cognitae et bene statutae.

Prognosis.

Prognosis plerumque infausta pronuncianda est, dum intestinorum laesio summi est momenti, et terribiles effectus minitatur. Praeterea febris comes hujus laesionis in turbatis functionibus se se profert organi summi momenti, cerebri scilicet suorumque nervorum; addendum his quod therapia non adhuc existit omnino secura, et vim morbi destructura. De ceteris aliis, quae ad prognosim spectant, omitto consulto verba facere, dum ex peculiaribus variis indicationibus, et ex illis generalibus morborum tubi enterici graviorum, prognosis expromenda erit,

nec in stricto mese dissertatiunculae limite amplectenda.

Therapia.

Juxta varias circumstantias varia quoque therapia esse debet; et si aliquam medendi methodum generatim proponere vellemus, magnum procul dubio errorem committeremus, aut ideas has nostras tunc a factis disjungeremus.

Natura certe inter potentisa salutares hujusce morbi primum locum tenet; sed natura tantum quandoque non sufficit, et tunc pharmacorum auxilia postulat, quod ipsa quandoque ad finem lethalem aegros perducit; una enim in omnibus suis operationibus ut salutares valet undique diffundere rores, ita quandoque vastificas emittit tempestates.

Diaeta dein et potus diluentes optimum semper exercuerunt effectum, praesertim ubi a prima morbi origine in usum vocabantur. Methodo isti expectativae medicinae Andral tribuit magnam partem boni exitus suorum aegrotantium, et quamvis Bouillaud curationem se incepisse semper asserit a venae sectionibus repetitis juxta peculiares individuorum circumstantias, nos huic opponeremus, vel quod inutiles erant, et boni exitus forsan, ubi adhibitae non fuissent, citius in scenam prodiissent; vel quod graviores tunc evaserant, uti Andral observavit; vel si pro-

fecerunt, ut reapse in quibusdam circumstantiis prodesse debent, nunquam pro systematis lege instituenda; imo ratio baec spernenda omnino est, et tunc methodus expectativa rationalis potius commendanda.

Per methodum expectativam linguae spurcities, ariditas, anorexia, sitis evanuerunt, diarrhoeae imminutae sunt, febris lenta cessavit; raro ex consensu aliorum organorum epiphaenomena apparuerunt, et quamvis raro etiam crises salutares observatae fuissent, plerumque tamen ad laetum aegri progressae sunt statum.

Asserimus nullas, aut saltem pancas venae sectiones utilitates praeseferre, dum observationes plus accuratae ab Andral adlatae quam illae adhibitae a Bouillaud, nobis demonstrant, quod in octoginta aegris sic tractatis sexdecim levamen perseuerunt, et in tribus tantum morbus post venaa sectionem imminntus est. Triginta et quatuor nullum levamen aut damnum habuerunt, et in viginti quatuor immediate post venae sectionem morbus exasperari coepit; trea autem, qui post primam phlebotomiam melius se habuere, post secundam iterum morbo afflictari coeperunt. Ex quibus factis et auctoritatibus elucet potius damnandam esse quam amplectendam venae sectionem, aut saltem sano judicio statuendnm quid utilius evadere possit.

Huc spectant etiam venae sectiones locales ope

hirudinum institutae. Hae plerumque instituuntur, aut ad anum, aut ad regionem epigastricam, aut ad ileo-caecalem; sed amissio sanguinis circulantis per parietes abdominales difficile ab organis internis morbo laborantibus persentitur; longa enim via interest; hac de causa inutiliores visae mihi fuere. Ratio revera comprobat quidquid experientia nos docet; adplicatio autem ad anum bonos exitus inducit cum sciamus vasa per illam regionem serpentia directe communicare cum illis, quae tunicis intestinorum sanguinem subministrant. Tali ratione Andral in viginti et sex individuis, qui sanguinem amiserunt, per alias partes praeter quam per anum, nullum levamen praestitisse asserit, et e contra in decem et novem, quibus adplicitae hirudines ad anum fuere, decem levamen obtinuerunt, et diarrhoea contumax illico cessavit. Monendum hoc in loco est morsus hirudinum saepe saepius ecchymosim aut ulcera produxisse, et aliquando etiam quasdam pustulas illis variolarum similes, quod phaenomenon praeterquam cum sanguinis alteratione, nullo alio modo explicabo.

Meteorismus ipse nullum levamen obtinet a venae sectionibus, aut saltem venae sectiones illum impedire non valent; pariter laesiones omnes innervationis, quae in febribus aut in affectionibus istius indolis observantur, sub sangui-

nia depletionibus semper exasperari observatae sunt.

Quod autem ad purgantia spectat, aphorismum illum Hippocratis huic loco magni faciendum existimo, »in acutis nempe morbis raro »et ab initio medicinia purgantibus uti, et hoc »cum praemeditatione faciendum;» ita ubi peculiares indicationes ad purgantia adhibenda non existant, ab istis abstinendum est, docente ipsa experientia.

Emetica e contra bonum semper praestulerunt effectum, praesertim tartarus emeticus et ipecacuanha refractis etiam dosibus adhibitis; id quod argumentum esse poterit, actionem illorum in motibus vitalibus systematis nervosi perturbatis exerceri; quod tamen argumentum copiosioribus factis egeret. Tartarum stibiatum semper bonos effectus exercere in istis adfectionibus Andral observavit, et a veteribus medicis etiam ex nostris regionibus, qui typhum annis elapsis tractandum habuerunt, adhuc boni memorantur effectus ab usu emetici praesertim primis diebus adhibiti; e coutra tartarus emeticus debet suam tam communem cognitionem et usum in medicina febribus typhoideis, carcerariis, flavis etc. quae viris summis occasionem praebuerunt illum adhibendi, ut fecerunt itali Rasori, Tommasini, et dein medici galli Recamier et Trousseau, a quibus operibus satis elucere de-

bent virtutes medicinales tartari emetici. Ipecacuanha pariter in usum vocata minores quidem, sed bonos etiam effectus exercuit praesertim in fluxibus alvi compescendis. Boni denique effectus utriusque et praesertim tartari emetici tribuendi mihi videntur actioni in plurimis organis uno tempore humanae oeconomiae, ita vomitus, dejectiones alvinae, sudores, perspiratio et secretio bronchiorum, cerebri actio imminuta; tot omnes isti effectus tribui debent duobus istis pharmacis; ex quo fit, ut quamvis ab empiricis medicis in usum trahantur, cum pluribus indicationibus respondere possint, certe juvabunt; nam in praecipua organa secretioni et excretioni statuta agere videntur.

Adhibebuntur tamen refractis dosibus, ne nimias evacuationes aut motus nimis vehementes inducant, ne accidat quidquid a purgantium usu timendum est.

Quoad tonica remedia nil dicam, nam dubia adhuc existunt an bonos, an malos possent gignere effectus in dothinenteritide, et observationibus medicorum adhuc subjacent.

Bouillaud consuluit praeterea clorureta ad vitandam sanguinis degenerationem, et bonos, ut ipse dixit, effectus observavit; praesertim clorurretum calcis ipse adhibuit in solutione; Andral etiam illud adhibuisse asserit, et sat bono cum successu.

Remedia denique externa plura in usum vocari possunt, sive emollientia ipsa sint, et locis dolentibus abdominis adplicanda, sive illa sint revulsiva et epispastica sic dicta, et remotis partibus imponenda, quorum usus ab indicationibus variis aliis morbis communibus statuendus erit.

Ex quibus omnibus adlatis satis patet quomodo remedia emollientia, mucilaginosa, leniter acida, et antiputrida in usum vocanda erunt prae ceteris, non omissis tamen peculiaribus circumstantiis in unoquoque casu existentibus.

Clarissimus Bouillaud concludit, quemadmodum in erysipelate phlegmonoso, et in phlebitide gravi perturbantur functiones nervosae, ita evenire laesionem innervationis etiam in mesenterite typhoidea, et hunc morbum sicuti febrem essentialem, ut alii voluerunt, considerari, » ce » serait là une véritable contre-sens pathogenique »; Hippocrates enim ait:

Naturam morborum ostendit curatio.

THESES

I.

Sanguinis emissiones incassum redeunt, ubi eo scopo instituantur, ut ortum novae inflammationis impediant.

II.

Haemoptoe potius effectus, quam causa phthiseos pulmonaris.

III.

Dothinenteritis evolvi potest absque dolore, aut ventris tensione, aut diarrhoea.

IV.

Quo magis systema nervosum impressionabile redditur, eo magis innervatio irregulariter efficitur.

V.

Gangraena venarum admittenda ob suam possibilitatem, quin observata fuerit.

VI.

Febrim puerperalem sic dictam, vel ad metritidem, vel ad peritonitidem, vel ad phlebitidem referendam esse censeo.

VII.

Vis resistentiae vitalis in systemate nervoso residens, communiter procedit ratione inversa adparatus locomotricis.

VIII.

Doctrina dierum criticorum in dothinenteritide et in quibusdam febribus similibus illi, quae dothinenteritidem comitatur, caret veritate.

IX.

Amissiones quaedam praeternormales humorum e corpore humano sub quorundam morborum decursu pendere videntur a quibusdam innervationis laesionibus

X.

Emeticus praesertim agit energice perturbando acta vitalia.

XI.

Statio verticalis post morbos graves periculosa, et non raro lethalis.

XII.

Febris hectica simplex, sive essentialis aut primaria non existit.